

PUNCTUM I. — *De sciendis ad recte credendum, seu de Symbolo Apostolorum.*

197. — Dogma triplex, in Symbolo contentum, credendum est nempe... 1^o de Deo; 2^o de Christo; 3^o de Ecclesia.

I. De Deo quatuor tibi scienda et credenda sunt, scilicet quod sit 1^o Unus seu unicus in essentia. — 2^o Trinus in personis aequalibus et realiter inter se distinctis. — 3^o Prima omnium causa seu Conditor omnium creaturarum. — 4^o Remunerator et vindex actionum nostrarum saltem in alia vita.

II. De Christo sex explicite scito et credito, nempe quod sit 1^o Filius Dei naturalis, et ideo verus Deus. 2^o De Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptus et natus. — 3^o Pro nobis passus et mortuus. — 4^o A mortuis propria virtute redivivus. — 5^o In caelum ascendens, et rex gloriae in aeternum futurus. — 6^o Rediturus ad homines in fine saeculorum iudicandos.

III. De Ecclesia tria haec scire et credere debes, scil. quod sit 1^o Unica in terris sub uno capite visibili. — 2^o Gubernata et conservata Spiritus Sancti assistentia. — 3^o Infallibilis in rebus Fidei et morum, et ab omnibus audienda. Hoc tamen ultimum, licet certum et de Fide in Symbolo explicite non continetur.

Explicatio brevis singulorum Symboli articulorum.

198. — I. ART. — « Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem caeli et terrae. » 1^o *Credo in Deum*, id est, credo Deum existentem, unum in essentia et trinum in personis... Deum finem ultimum... Credo Deo loquenti. — 2^o *Patrem*; primam personam SS. Trinitatis et omnium rerum principium — 3^o *Omnipotentem*; principale eius attributum in sequentibus verbis etiam inclusum. — 4^o *Creatorem caeli et terrae*, id est, omnium rerum quae extra Deum existunt.

II. ART. — « Et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum. » — 1^o *In Iesum Christum*; eodem modo et eodem sensu ac credo in Patrem. — 2^o *Filium eius unicum*; creditur explicite, Christum esse Filium Dei naturalem... secundam personam SS. Trinitatis... et proinde Deum. — 3^o *Dominum nostrum*; credendum, Christum esse omnium Dominum.

III. ART. — « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. » — 1^o *Conceptus est de Spiritu Sancto*; explicite credendum Christum, ut hominem, conceptum praeter ordinem naturae esse Spiritus Sancti operatione. — 2^o *Natus ex Maria Virgine*; explicite credenda nativitas ex Maria, Virgine ante partum et in partu.

199. — IV. ART. — « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. » — 1^o *Passus*; passio Christi explicite credenda est sub gravi. — 2^o *Sub Pontio Pilato*; circumstantia haec ad Fidem explicite tenendam non pertinet. — *Ita omnes*. — 3^o *Crucifixus*; probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda; sic enim Apost. 1. Cor. 1. 23.: *Praedicamus Christum crucifixum*. — 4^o *Mortuus*; mors Christi explicite credenda est. 1. Cor. 15. 3.: *Tradidi vobis imprimis... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris*. — 5^o *Sepultus*; sepultura Christi explicite credenda est; sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. — Ita circa haec omnia Lugo, disp. 12. n. 21.

V. ART. — « Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. » — 1^o *Descendit ad inferos*; probabilius hoc non est explicite credendum sub gravi, imo nec sub levi, iuxta Suarez; quia a fidelibus non facile intelligitur. Sed contradicit Lugo, ibid. — 2^o *Resurrexit a mortuis*; sub gravi explicite credendum, quia est Religionis fundamentum. — 3^o *Tertia die*; illa temporis circumstantia non est explicite credenda. — *Ita communiter*.

VI. ART. — « Ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris omnipotentis. » — 1^o *Ascendit in caelum*; secundum humanitatem explicite et sub gravi credendum. — 2^o *Sedet ad dexteram Patris*; probabiliter iuxta plures hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant esse credendum explicite quoad honorem, potestatem, dominiumque supremum. — Ita Suarez. — 3^o *Omnipotentis*; idem ac in art. I. — Significatur etiam indirecte potestas Christi, qui ad dexteram Dei omnipotentis sedet.

200. — VII. ART. — « Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. » — 1^o *Inde venturus est iudicare*; explicite credendum, iterum Christum venturum ad homines iudicandos. — 2^o *Vivos et mortuos*, id est, omnes homines mortuos ab origine mundi, et vivos qui in ultima conflagratione morientur. — *Ita communiter*. Sed haec verba *vivos et mortuos*, iuxta Lugo, non sunt explicite credenda, ob varietatem explicationum.

VIII. ART. — « Credo in Spiritum Sanctum. » — 1^o *Credo*, eodem modo ac in Patrem et Filium, ut supra. — 2^o *In Spiritum Sanctum*; credendum explicite, quod sit tertia persona SS. Trinitatis, aequalis Patri et Filio, et proinde Deus. — 3^o *Processio a Patre Filioque* non est credenda explicite necessitate praecepti a singulis fidelibus, etsi de Fide sit. Multa enim de Fide non ab omnibus sciri debent. — Lugo, Suarez et alii communiter.

IX. ART. — « Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem. » — 1^o *Ecclesiam*; credendum explicite quod sit una vera Ec-

clesia, etc. ut supra. — 2^o *Sanctam*; sufficit scire et credere, esse sanctam ob caput, doctrinam, Sacramenta sua, et Sanctos canonizatos, quia de caeteris diversi diverse sentiunt. — 3^o *Catholicam*; sufficit obedientiam ipsi in persona capitis sui visibilis profiteri. — 4^o *Communionem Sanctorum*; an credenda explicite, et quoad aliquam communicationem orationum tantum?... An tantum implicite in unitatem Ecclesiae?... An sub gravi vel sub levi?... Non conveniunt Doctores. Quidquid sit, in praxi omnes videntur sufficienter illam cognoscere, cum saepe dicant *Ora pro me*, Sanctosque frequenter invocent.

X. ART. — « Remissionem peccatorum. » — 1^o Credendum explicite quod Deus remittat peccata omnibus rite dispositis. — 2^o Item potestatem peccata remittendi in Ecclesia esse. — 3^o Credendum pariter explicite, nullam extra Ecclesiam esse peccatorum remissionem (3).

XI. ART. — « Carnis resurrectionem. » — 1^o *Resurrectionem*; explicite credenda omnium mortuorum resurrectio. — 2^o *Carnis*; non vero hominis, ut ostendatur solum corpus corrumpi, dum anima remanet incorruptibilis et immortalis.

XII. ART. — « Vitam aeternam. » — 1^o Explicite credenda de necessitate medii beatitudo aeterna iustorum. — 2^o Poena aeterna damnatorum, quam indirecte profitemur credendo vitam aeternam iustis concedendam.

PUNCTUM II. — *De sciendis ad recte agendum.*

I. *De praeceptis Decalogi et Ecclesiae.*

201. — I. Praecepta Decalogi:

1^o Certo notitia Decalogi explicita ex praecepto omnibus fidelibus necessaria est. — *Ita omnes.*

2^o *Etiam* Decalogus credendus est explicite, quia praecepta Decalogi sunt revelata, ut ab omnibus serventur; porro quod revelatum est, *Fide divina* est credendum; et quod revelatum est ad dirigendos actus singulorum, est ab omnibus explicite sciendum. Ergo. Contradicunt tamen plures, quia alio modo, ac per revelationem, eiusmodi praecepta nosci possunt.

3^o Non necessario memoriter et ordine solito scienda sunt praecepta quamvis ad hoc fideles hortandi sint.

(3) Nempe nulla est peccatorum remissio pro iis, qui scienter extra veram Christi Ecclesiam esse volunt. Nam alioquin homini rite disposito, et bona fide accedenti, peccatorum remissionem sive per bap-

smum sive etiam per sacramentalem absolutionem etiam per ministrum haereticum vel schismaticum conferri posse, suo loco videbimus.

202. — II. Praecepta Ecclesiae:

1^o Non sunt credenda Fide divina, quia a Deo non sunt revelata, saltem quatenus praecepta sunt Ecclesiae. Illud tantum credendum est, quod Ecclesia leges ac praecepta ferendi ius ex auctoritate divina habeat.

2^o Debent sciri ab omnibus praecipua Ecclesiae praecepta, quorum observatio ad omnes fideles pertinet; nempe praeceptum Festa colendi, Missamque in iis audiendi, praeceptum confessionis annuae, Communionis Paschalis, ieiunii et abstinentiae, quae suo loco explicabuntur.

Ad obligationem praecepta noscendi revocatur etiam, quod singuli officia proprii status seu conditionis nosse necessario debent.

II. *De sacramentis.*

203. — Omnes scire et credere debent explicite.

1^o *Baptismum*, eius efficaciam et necessitatem absolutam ad salutem consequendam.

2^o *Poenitentiam*, et eius efficaciam ad peccatorum remissionem obtinendam.

3^o *Eucharistiam*, et in ea realem Christi, veri Dei et hominis praesentiam. Item iuxta communem sententiam explicite credendum est, quod Christus sit totus in singulis speciebus; et probabilius etiam, quod in sacrificium offeratur, cum omnes debeant Missae sacrificio assistere. Probabilius vero non est explicite credenda Transsubstantiatio. — *Ita communiter*, Lugo *De Fide*, disp. 13. sect. 5. n. 121.

4^o *Caetera Sacramenta*, quando proxime recipienda sunt. Necessarium vero iuxta communem sententiam non est illa nosse et intelligere, quae non sunt recipienda.

III. *De Oratione Dominica.*

204. — 1^o *Sub gravi* tenentur omnes illam scire quoad substantiam, id est, scire Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animae tum corporis, tum etiam gratias ad animae mala effugienda. — Creditur in ea Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans.

2^o Omnes tenentur, saltem *sub levi*, ad illam aliquando recitandam, ut habet communis sententia cum Lugo, disp. 13. sect. 5. n. 133. — Suarez, disp. 13. sect. 4. n. 12.

3^o Probabiliter obligatio memoriter eam tenendi non urget *sub gravi*. Ita Lugo, *ibid.* — Suarez, *ibid.* — Busemb. apud S. Lig. n. 3. contra nonnullos, qui gravem obligationem eruunt ex verbis Christi: *Sic orabitur*. Sed verba illa intelligi possunt de eiusdem orationis substantia.

Orationi Dominicae ex usu Ecclesiae praxique fidelium fere adiungitur Salutatio Angelica, quae etsi non ex obligatione, ex decencia tamen scienda et recitanda est ob patrocinium B. V. et cultum ipsi debitum.

ARTICULUS III. — DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

Duplex distinguitur fidei adversum vitium, scilicet 1^o infidelitas, 2^o haeresis, cui adiungitur apostasia.

§. I. De infidelitate.

205. — DEFINITIO. Infidelitas, generatim sumpta, est carentia Fidei in homine non baptizato. Infideles enim dicuntur illi, qui per Baptismum habitum Fidei non susceperunt.

DIVISIO. Triplex distinguitur infidelitas, scilicet positiva, negativa et privativa.

1^o Infidelitas *positiva*, seu *formalis*, est carentia Fidei in eo, cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit.

2^o Infidelitas *negativa*, seu *materialis*, est carentia Fidei in eo, qui nunquam de vera Religione quidquam audivit (1).

3^o Infidelitas *privativa* est carentia Fidei in eo, qui sibi notitiam Fidei, data occasione, comparare negligit.

Praecipuae infidelitatis species sunt: *Paganismus*, *Judaismus*, *Mahometismus*, et aliae sectae, quibus adiungi possunt *Deismus*, *Atheismus*, *Pantheismus* et *Rationalismus*, qui nostris temporibus tam late grassatur.

206. **Principia.** — I. *Infidelitas* tum *positiva*, seu *formalis*, tum *privativa*, est gravissimum peccatum. Ratio est, quia illa explicite, haec virtualiter continet gravem iniuriam et contemptum primae veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis (2).

II. *Infidelitas* autem *negativa*, seu *pure materialis*, in se non est peccatum, sed tantum poena peccati. Ratio est, quia non potest esse peccatum, ubi est ignorantia invincibilis. — Insuper constat ex damnatione propositionis 68^{ae} Baii, a Pio V. et Gregorio XIII. proscriptae, quae sic iacet:

(1) Adde, etiam in eo, cui revelatio aliquatenus proposita fuerit, nondum tamen sufficienter, adeo ut ad credendum iam teneatur, licet fortassis teneri possit ad inquirendum. Recole propositionem vigesimam primam ex damnatis ab Innocentio XI, quae sic se habet: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis*

formidet, ne non sit locutus Deus.

(2) Privative reatus dimetiendus est a minori aut maiori negligentia in inquirendo; obligatio autem inquirendi supponit prudentes rationes aut saltem suspensiones de huius inquisitionis necessitate; nam si eiusmodi ratio aut suspicio tenuis sit, ne in gravissimis quidem negotiis gravem negligentiae culpam reperimus.

Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est. — Miserrimi tamen sunt infideles etiam negativi, cum a via salutis longe aberrent (3).

III. Ritus infidelium a Principibus christianis nunquam approbari aut foveri possunt: eos tamen aliquando tolerare licet, quando per eorum prohibitionem maiora mala inducerentur, aut maiora bona impedirentur (4). — Facilius autem tolerantur Iudaei, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiae provenit, nempe Fidei nostrae testimonium.

207. — **QUAER.** *An infideles opera bona facere possint in statu infidelitatis?*

Resp. 1^o *Affirm.* quoad opera naturaliter honesta. Constat 1^o ex Scriptura sacra, *Rom. 2. 14: Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* — 2^o Ex variis propositionibus damnatis, scilicet ex prop. 25^a Baii a Pio V damnata: *Omnia opera infidelium sunt peccata...* — Ex prop. 8^a damnata ab Alex. VIII: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Ratio damnationis est, quia non est peccatum, ubi non est violatio legis, nec finis vitiosus; porro multa infidelium opera eiusmodi esse possunt: ergo, etc.

Resp. 2^o *Affirm.* etiam quoad supernaturalis ordinis opera, Fidei formali praevia, quae infideles divina adiuti gratia peragunt.

§. II. De haeresi.

208. — DEFINITIO. Haeresis, *proprie sumpta*, est error voluntarius ac pertinax contra aliquam Fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui Fidem recepit. *Lato sensu* est error etiam involuntarius contra aliquam Fidei veritatem.

DIVISIO. Distinguitur haeresis

1^o *Formalis*, quae est haeresis proprie dicta, seu in stricto sensu, vel *materialis*, qua quis adhaeret errori sine pertinacia.

2^o *Interna*, vel *externa* seu *manifestata*, aut *pure externa*, prout *interne*, aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur.

3^o *Occulta*, vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum vel multis nota est.

(3) Non tamen praeclusam iis viam esse, quae per *flaminis baptismum* patet, egregie innuit S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6.

(4) Aliud est tolerare ob gravissimas hasce causas, aliud vero sectas omnes et cultus seu religiones omnes eodem loco habere. Postremum hoc, in quo recens

impietas *libertatem* (ut inquit) *conscientiae sive cultus* reponit, est vera Gubernii apostasia, ad quam referendum quis forte putabit propheticum illud Pauli (2. *Thess.* 2. 3.): *Nisi venerit discessio* (in text. graec. *ἀποστασία*) *primum*; antichristi scilicet *πρόδρομος* in ea intervidens.

Ad haeresim refertur apostasia, quae est totalis defectio a Fide christiana. De ea igitur, sicut de haeresi formali, statuendum.

209. **Principia.** — I. Haeresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. Ratio est, 1^o Quia virtus Fidei utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum unum est ex gravissimis. 2^o Fides est fundamentum iustitiae, sine qua *impossibile est placere Deo*; ergo haeresis, expellendo Fidem, privat hominem omni iustitia. 3^o Quia haeresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis; et sic est directe et immediate contra Deum.

II. Haeresis *pure materialis* vacat omni culpa. Ratio patet ex eius definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo, etc.

210. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam sint signa haeresis materialis et formalis?*

Resp. ad primum. Censendus haereticus materialis tantum, 1^o Qui paratus est se submittere iudicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit. — 2^o Qui de vera Fide nihil cognovit et de sua Religione nunquam dubitavit. — 3^o Qui dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit.

Resp. ad secundum. Haereticus formalis reputandus est 1^o Qui dubitat nec vult ulterius inquirere. — 2^o Qui avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis, ut suae sectae adhaereat (5). — 3^o Qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae.

(5) Ad formalem haeresim, ut infr. q. 3. dicitur, assensus pertinax requiritur contra fidem, idest contra veritatem, quae uti revelata cognoscitur. Porro qui mere dubitat, sitne quidpiam revelatum, non habet pertinacem illum assensum, utcumque inquirere negligat, imo et intellectum ab iis, quae possent ad veritatem agnoscendam adducere, culpabiliter avertat. Praemissa ergo A. verba accipienda sunt latiori quodam sensu; aut certe intelligenda sunt de homine ita comparato, ut etiamsi veritas menti eius affulgeat, obfirmatum tamen animum gerat in falsa secta sua perseverandi.

Conf. De Lugo (*De Fid.* disp. 20. n. 197. seqq.), qui egregie ostendit, eum quoque, qui vel affectet ignorantiam, sive

circa Ecclesiae definitiones dogmaticas, sive etiam circa infallibilem Ecclesiae in definiendis controversiis auctoritatem, utique haereticum esse, si eo animo est, ut etiamsi constet de Ecclesiae tum auctoritate tum definitionibus, nolit a sua opinione dimoveri, et interim velit haec ignorare sive ut remorsum vitet, sive ut habeat excusationem; secus vero, si ignorantiam ideo affectet, quia non auderet alioqui se auctoritati Ecclesiae opponere, et interim vult ignorare, ut sine obstaculo opinioni suae adhaereat. Ratio discriminis est, quia in casu hoc postremo peccat sane homo et quidem gravissime contra praeceptum fidei, quod tamen peccatum consociari potest cum voluntate credendi, si doctrina revelata sufficienter ipsi proponatur; secus

QUAER. 2^o *An sit haereticus formalis qui dubitat de aliquo Fidei articulo?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia ille qui dubitat, deliberate suspendit assensum intellectus circa veritatem, quam scit esse a Deo revelatam (6), seu iudicat esse incertum quod Deus iubet credere ut certum; ergo deficit a Fide, negando summam Dei veritatem et Ecclesiae infallibilitatem.

QUAER. 3^o *An sit haereticus formalis qui Fidem externe tantum negat?*

Resp. Neg. Nullo enim modo est haereticus, quia in eo non est assensus pertinax contra Fidem et proinde in foro conscientiae haeticorum poenas non incurrit, quamvis graviter peccet contra praeceptum Fidei.

Vide plura de haeresi in Tract. de Censuris, ubi etiam dicitur de prohibitione librorum, necnon de Indice.

CAPUT II.

DE SPE

211. — Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione expectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Obiectum *materiale* Spei primum est Deus possidendus, iuxta illud *Gen. 15. 1: Ego ero merces tua magna nimis.* Obiectum vero secunda-

vero in casu praecedenti, cum voluntas supponitur non credendi revelationi utcumque sufficienter propositae. Atqui pertinacia contra fidem tunc adest solum, quando voluntas parata est assensum negare revelationi sufficienter propositae. Ergo formalem haereticum habemus utique in priori casu, non item in posteriori.

(6) Aliter vero dicendum de eo, qui dubitet, an quidpiam sit revelatum; quippe qui ne posset quidem circa id fidei actum elicere, ut constat etiam ex Prop. 21^a damnata ab Innocentio XI: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Peccabit hic igitur contra praeceptum fidei, si advertens necessitatem inquirendi, de veritate non inquiret; nam fidei praece-

ptum sicut ad credendum obligat, ita ad discendum, atque adeo ad inquirendum: non tamen est haereticus, cum nulla sit pertinacia contra perspectam revelationem. Unde inferri potest, eorum plerosque, qui sunt extra Ecclesiam, reos utique esse posse neglectae circa fidem inquisitionis; at non ita facile formales haereticos esse censendos.

Atque hinc ratio quoque patet damnationis Prop. 4^{ae} ab eodem Innoc. XI: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Etsi enim infidelis ad credendum non teneatur, quamdiu revelatio ipsi non apparet evidenter credibilis; attamen nequaquam eximi a culpa potest, quod prudentem in re tam gravi suspicionem, atque adeo gravem inquirendi obligationem contempserit.